Et commota Themis, deditq; sortem:
Templo cedite protinus sacrato,
Et velate caput, resolvitote
Vestes, et jacite ossa retro terra
Substiterunt diu, priorq; Pyrrha
Rumpit voce silentia, et recusat
Jussis obsequier Dea benigna:
Ignoscat misera, rogat, pavetq;
Jactis ossibus impie parentis
Umbras laedere. Sed caecis in antris
Movent interea notanda sortis
Secum verba datae, et magis volutant.
Permulcet placidis suam inde dictis
Pyrrham Deucalion maritam, et inquit:
Est solertia clara nupta nobis,
Aut oracula sunt pia atq; sancta,
Nullum credo nefas malumve suadent.
Terra magna parens: sed omne saxum
Ossis nomine dicier putemus.
Post tergum jacere hoc jubemur ambo.
Quamvis augurio fidem marita
Facit conjugis, attamen salutem
Sperare in dubio est: Deorum uterq;
Diffidunt monitis: periclitari
Sed nobis ratione qua nocebit?
Discedunt, caput et tegunt pudicum,
Et cinctas tunicas suas resolvunt
Post vestigia saxa jactitantes.
At quis crederet hoc, nisi vetustas
Sit testis: lapides suum rigorem
Prorsus duritiemq; posuisse,
Mollitos speciem et notam induisse.
Creverant ubi, iiq; mitiorem
Naturam accipiunt statim, figura,
Quanquam non manifesta, homunculorum
Sed de marmore cepta sicut albo
Non exacta satis, rudisq; signis
Parum dissimilis, potest videri.
Qua pars uda tamen liquore gravata,
Et terrena fuit, ferebat usum
Versi corporis, at quod induratum est
Et flecti nequit, ossa praebet ima:
Et quod vena fuit, refert eandem:
Haud magno spatio favore Divûm
Ipsa missa viri manu virorum
Traxerunt faciem: et pudica mater
Est de foeminea parata jactu.
Hinc durum extitimus genus, laborum
Nec non experiens: damusq; signum,
Quali semine sumus creati.

Georgius Schmidt
Cottbusio-Lusatus.